



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 2. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

five alio dicitur; datur manus impositio; neque exstat ullibi fundamentum ullum, ut dicamus, solum contactum pollicis non esse manus impositionem; ergo &c.

45. Fit 6. Ex 5. asserti, contra Gonetum, formam Ecclesiae Graecae non esse substantialiter distinctam à forma Ecclesiae Latinae. Ratio, quia illa verba nudè sumpta non sunt forma, nisi pro ut à Christo instituta ad causandum suum effectum; atqui non sunt instituta ad causandum effectum substantialiter distinctum; ergo non sunt formae substantialiter distinctae. Confirmatur 1. formae, quae eundem effectum formalem causant, non sunt substantialiter distinctae, sed sunt una moraliter: atqui illae duae formae eundem effectum formalem causant; ergo &c. Confirmatur 2. efficaciter ad hominem; idè est valida forma, qua utuntur Graeci, & forma, qua utuntur Latini, quia Christus reliquit potestati Ecclesiae determinare verba, quibus confirmationis Sacramentum consiciatur, ut constat ex dictis num. 53. diximusque etiam à num. 78. de Sacram. & fatetur Gonetus disp. 6. de Sacram. to confirmationis art. 2. num. 53. formae autem pertinent ad substantiam Sacramentorum, cum sint Sacramentorum constitutivae, ut constat à num. 34. de Sacram. & defendit acriter ipse Gonetus disp. 1. de Sacram. in genere art. 7. §. 1. dicens, manifestam esse D. Thomae sententiam, & contrariam Gabrerae expositionem ad usum terminorum intolerabilem, imponere D. Thomae; atqui Ecclesia non habet Auctoritatem ad immutandam substantiam Sacramentorum, ut definit Trid. citatum num. 59. de Sacram. ergo &c. Confirmatur 3. etiam ad hominem, quando Apostoli consiciebant Sacramentum confirmationis absque chrismate per solam manuum impositionem, illa manuum impositio solum materialiter, & entitative distinguebatur ab unctione chrismatis, formaliter autem erat eadem, quia substabat eidem significationi & Christi institutioni, ut habet Gonetus Disp. 6. art. 2. §. 1. num. 27. sed hoc ipsum evenit in nostro casu; ergo &c.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

46. Obf. 1. Contra 1. asserti: non minus est efficax impositio manuum Christi, quam impositio manuum Apostolorum; atqui per impositionem manuum Apostolorum consiciebatur Sacramentum confirmationis; ergo etiam per impositionem manuum Christi; atqui Christus imposuit manus supra pueros multò tempore ante noctem cenae, ut constat ex Matth. 19. ergo non in nocte cenae, sed multò ante instituit Sacramentum confirmationis. Conf. ex Conc. Senonensi, quod habetur Tom. 13. Conc. novae impress. & est Senonense 19. in decretis fidei, ubi haec habet; nec obscurius quidem Sacramentum confirmationis Christus instituit, cum parvulis manus imponeret; ex-

go &c. Resp. dist. maj. non minus est efficax ad finem intentum à Christo, con. 1. ad finem non intentum, N. maj. & con. min. N. consequentiam; deinde dist. min. subsumptam: imposuit manus supra pueros ad eos benedicendos & curandos, con. ad eos confirmandos, nego min. & consequentiam; ut constet ex dictis num. 25. & constabit num. sequenti.

Ad Confirmationem nego consequentiam, quia illud Conc. nullam habet à Pontifice auctoritatem, habitum enim fuit ex auctoritate Cancellarii Galliae, ut ex ipsius praefatione constat, & in hac parte à Theologis non admittitur. Docere quidem, Christum confirmasse pueros, cum illis manus imposuit, est dicere, ministratum fuisse hoc Sacramentum ante Pentecostem, quod non solum est contra omnes ferè Theologos ex dictis n. 24. sed expressè contra Carechismum Tridentini tit. de confirmatione dicentem: S. quidem Lucas, cum admirabilem illam Spiritus S. effusionem describeret, ita inquit; & factus est de Caelo repente sonus tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum. Deinde paucis interjectis; & repleti sunt omnes Spiritu S. ex quibus verbis licet intelligere, quoniam domus illa S. Ecclesiae figuram, & imaginem gerebat, ad omnes fideles Confirmationis Sacramentum, cujus initium ab eo ductum est, pertinere.

Objicies 2. Contra 2. asserti: ex vi Sacramenti Confirmatus non distinguitur ab aliis, etenim ab in fidelibus supponitur jam discretus per Baptismum; à fidelibus verò discerni non debet, cum confirmatio iis omnibus debeat esse communis; atqui nullum Sacramentum causat per se gratiam, neque characterem imprimi, nisi ratione sui discernat suscipientem à non suscipiente; ergo Sacramentum confirmationis neque gratiam causat, neque characterem imprimi. Conf. 1. per Sacramenta non confertur specialis gratia, absque speciali fine, ad quem illa ordinetur: atqui gratia confirmationis non ordinatur ad finem aliquem specialem: professio enim fidei & crucis Christi communis est omnibus Baptizatis, atque ad eam ordinantur ex vi Baptismi; ergo &c. Conf. 2. idè circumcisio non imprimebat characterem spiritualem, quia ipsa erat character corporalis; sed etiam per confirmationem imprimitur character corporalis, quando confirmatus signatur signo crucis, dum ungitur chrismate in fronte; ergo &c.

Resp. nego maj. distinguitur enim ratione hujus Sacramenti fidelis à fidelibus non confirmatis, tanquam domesticus à milite ex num. 40. & tanquam vir robustus ab infantibus imbecillis, ut constat ex testimoniis adductis n. 27. robur enim ad defendendam strenuè fidem coram tyranno, quod confertur ex vi hujus Sacramenti, non confertur ex vi Baptismi. Ad 1a confirmationem con. maj. & nego min. quia

confirmatio habet pro fine constituere militem strenuum Christi, Bapismus autem, licet constituat Christi domesticum, non ita constituit strenuum militem, ut constat ex num. 40. Ad 2. conf. nego maj. ratio enim, ob quam circumcisio characterem non imprimebat, non erat quia signabat exterius, sed quia non erat Sacramentum, neque à Deo erat instituta ad istum effectum, ideoque circumcisi, ut dicebat Chrysof. citatus num. 220. de Sacram. solum manebant exterius obfignati, quemadmodum pecudes; at verò confirmatio est Sacramentum, à Deo institutum ad istum effectum, ut constat ex Flor. & Trid. citatis num. 119. de Sacramentis.

50. Objicies 3. contra 3. assert: SS. PP. confirmationem sæpè vocant Sacramentum olei, nulla facta mentione Balsami; ergo mixtio Balsami non est de necessitate Sacramenti. Conf. 1. materia confirmationis debet esse cuique obvia; sed Balsamum olim adeo rarum erat, ut teste Plinio lib. 12. & 25. solum in Judæa & duobus hortis regis duntaxat oriretur; Balsamum inquit uni terrarum Judææ concessum est, quondam in duobus tantum hortis utroque regio, altero jugerum viginti, non amplius, altera pauciorum. Unde Titus captâ Hierosolimam arbutulam Balsami in triumphum detulit. Conf. 2. adeò exigua Balsami pars admiscetur oleo ad conficiendum chrisma, ut sæpè fiat unctio cum sola parte olei absque particula chrisomatis; ergo non Balsamum, sed oleum est de necessitate Sacramenti.

51. Confirmatur 3. Innoc. III. cap. *Pastoralis* de Sacramentis non iterandis rogatus, an confirmatio iteranda esset in eo, qui per errorem non chrismate, sed oleo simplici fuerat delinitus? Respondet, non esse aliquid iterandum, sed cautè suppleendum, quod incautè fuerat prætermisum; ergo supponit Balsamum non fuisse de necessitate Sacramenti; aliter dixisset iterandum esse Sacramentum. Conf. 4. ut constat ex Græcorum Euxologio & ex Arcud. lib. 2. cap. 5. chrisma apud Græcos est oleum & Balsamum, quibus duodecim alia aromata admiscuntur, viderurque ille usus habere fundamentum in Dyonisio cap. 4. de Ecclesiastica Hierarch. dicente. Dicimus igitur unguenti confestionem esse collectionem quandam suaviter spirantium materialium, quæ in se magnam vim & copiam fragrantium qualitarum continent, sed alia aromata non sunt de necessitate Sacramenti confirmationis; ergo neque Balsamum.

52. Resp. N. consequentiam, quia cum præcipua hujus Sacramenti pars sit oleum, eique modicum tantum balsami admisceri necessarium sit, ea de causa sumpta denominatione à majori parte dicitur aliquando Sacramentum olei, licet præter oleum requiratur etiam balsamum ad efficiendum unguentum chrisomatis; si verò sumatur denominatio ab utroque ex necessitate Sacramenti requisito, dici non potest Sacramentum olei, sed chrisomatis, sive

unguenti, ex oleo, & chrismate, sicut vocabatur ab Apostolorum Discipulis, imò & ab ipsis Apostolis, ut constat ex Dionys. citato num. 12. ad 1. Confirm. nego maj. non enim requiritur, quòd sit obvia confirmatoria materia, sed quòd instituta sit à Christo Domino, neque balsamum adeò raro reperitur post Christum Dominum, quàm tempore primitivè affertur quidem modò in magna abundantia, tum ex Palestina, tum ex India, nec refertur quòd non adeò facillè discernibile sit verum balsamum à non verò, cum ad decidenda ista & similia dubia, reliquerit Christus Pontificem suum in Ecclesia, sicut circa balsamum Indicum præstiterunt Paulus III. & Pius IV. imò apud Arcud. lib. 2. cap. 9. Nicolaus I. consultus à Græcis declaravit, non esse verum balsamum, quod in Bulgaria dicebatur oriri, et quò soluta manet aliorum instantia. Ad 2. Confirm. dist. antec. absque particula chrisomatis non corrupti in toto, & non perfusi moraliter in singulis olei partes, nego non perfusi physicè; con. antec. & nego conseq. ex dictis num. 43.

Ad 3. Confirm. nego consequentiam; Pontifex enim nequit facere, quòd Sacramentum confirmationis reiteretur, neque id declarare debebat, neque valebat: cum enim Sacramentum fuerit nudum, non iterabatur, quando unctio chrisomatis, quæ omilla erat, supplebatur. Addit autem Pontifex, ut caute fiat, quia cum prior unctio fuerit publicè facta, non debuit postmodum unctio chrisomatis publicè fieri propter scandalum, sed privatim, arca occultè absque solennitate, supplendo nimium substantialem defectum cum debita materia, & forma, & Sacramentum non factum conficiendo, accidentalia solum omittendo. Ad 4. Confirm. dist. maj. alia aromata admiscuntur ex illorum usu, con. ex necessitate Sacramenti, nego maj. & con. min. nego conseq. ut constat ex dictis num. 42.

Objicies 4. Non minus debet admisceri in Sacramento Eucharistiæ aqua vino, quàm in Sacramento confirmationis balsamum oleo; atqui solum vinum est materia remota Eucharistiæ; ergo, vel solum balsamum, vel solum oleum erit materia remota confirmationis, neutiquam autem mixtum ex utroque. Resp. dist. maj. non minus ex necessitate præcepti, con. ex necessitate Sacramenti, nego maj. & dist. min. nego conseq. si enim consecraretur vinum solum, consecraretur Sacramentum vtilidè, quamvis illicitè ex transgressione præcepti, ratione cujus debet aqua vino admisceri, ut constat ex Flor. citato num. 29. ac verò si fieret unctio solo oleo, vel solo balsamo, non consecraretur Sacramentum confirmationis ex defectu materiæ ab eodem Flor. requisitæ, ut constat ex num. 28.

Objicies 5. Ex Cajetano: Sacerdos potest consecrare Eucharistiam potestate ordinata, & siqul perficere Sacramentum confirmationis potest

potestate delegata à Summo Pontifice, ut constat à num. 65. ergo potest validè, & sufficienter consecrare, & benedicere chrisma necessarium ad Sacramentum Confirmationis, saltem ex concessione summi Pontificis, ac proinde materia remota hujus Sacramenti non est chrisma necessarium ab Episcopo benedictum. Probat̄ur conseq. qui potest majus, potest etiam minus; sed plus est consecrare corpus Christi, & consecrare Sacramentum confirmationis, quàm benedicere, & consecrare chrisma; ergo &c. Confirmatur 1. Benedictiones aquæ Baptifimalis, panis & vini Eucharistici, licet sint de necessitate præcepti, non sunt de necessitate Sacramenti; ergo neque benedictio chrismatificta ab Episcopo erit de necessitate Sacramenti. Confirmatur 2. non est credibile ea omnia, quæ habentur in rituali Romano pro Benedictione chrismatificta, esse de necessitate Sacramenti; neque ullum est fundamentum, ut una pars potius, quàm alia sit de necessitate; ergo nulla Episcopi benedictio est de necessitate Sacramenti.

56. Confirmatur 3. ex Concil. Tolletano 1. auctoritate Leonis Papæ confirmato cap. 20. dicente: quia in aliquibus locis vel Provinciis presbyteri dicuntur chrisma consecrare, placuit ex hac die nullum alium, nisi Episcopum chrisma consecrare; ergo supponit valere consecrationem factam à Presbytero, solumque proponi, ne id fiat, ac proinde benedictio Episcopalis solum est de necessitate præcepti, neutiquam vero de necessitate Sacramenti. Quod jam præceperat cap. 26. Concil. provinciale. 3. Carthag. confirmatum in 6. Synodo Generali in Trullo celebratum. Confirmatur 4. si oleo benedicto super infundatur oleum non benedictum, valet deinde Sacramentum, etsi perficiatur solo oleo super infuso, ut colligitur ex Pastoralis Leonis X. cap. 7. ex Rituali Romano Pauli V. parag. *habeat* de Sacramento extremæ unctionis, & declaravit Innoc. III. c. *quod in dubiis* de consecratione Ecclesie, ubi dicitur, nec negamus, quin oleum non consecratum consecrato possit oleo admisceri; ergo simili valet Sacramentum perfectum oleo; nec benedicto, nec permixto cum benedicto. Probat̄ur consequentia; permixtio non facit, ut sit benedictum, quod miscetur benedicto, aliter permixtio vini non consecrati cum consecrato faceret, ut torum maneret consecratum; ergo &c.

57. Resp. con. antec. & nego consequentiam ad prob. dist. maj. potest etiam minus, quod in majori continetur, con. quod non continetur, nego maj. & dist. min. nego consequentiam: Sic homo potest generare hominem, & non aquilam; Sacerdos potest consecrare corpus & sanguinem Christi, & non potest alios ordinare, nec consecrare altaria, quod est minus. Imò facultas ad alterius placitum concessa, qualem habent Ministri Christi, se extendit ad plura vel pauciora secundum concedentis vo-

luntatem; ac proinde inepta omnino est paritas ex potestate ad unum ad arguendam potestatem ad aliud. Ad 1. Conf. con. antec. & nego consequentiam, quia benedictio chrismatificta ponitur à Florent. verbis exprimentibus necessarium esse necessitate Sacramenti, ut constat à num. 28. secus alias benedictiones, ut constat ex num. 29. & 26. de Bapr. Ad 2. conf. nego consequentiam, quia ut tenet communis Theologorum sententia, ad valorem Sacramenti sufficit qualiscunque benedictio Episcopi, cum invocatione Spiritus S. ad arbitrium ipsius; communis etiam ritus determinatus Ecclesie solum est necessarius necessitate præcepti: nulla namque est sufficiens auctoritas, quæ cogat aut juvet ad dicendum aliud. Si autem aliqua determinata cæremonia vere probabilis requireretur ad valorem, tunc esset necessario adhibenda ex doctrina tradita num. 319. de Sacramentis.

Ad 3. confirmationem nego consequentiam, quia Concil. Tolletanum, ut ait Elparza, solum loquitur de consecratione chrismatificta, quod solum Baptismo deserviret, & quæ simplici Sacerdoti permitti, aut prohiberi potest ab Ecclesia, ut constat ex num. 1. hæc autem expositio rectè consonat & Tollera: & Carr. nec dissonat Florent. ac proinde mihi præ omnibus verosimilior apparet. Ad 4. Conf. permitto antecedens, quod si non habeat certitudinem ex testimoniis allatis, in quibus non esse sermo de chrismate, sed de oleo; magnam tamen ex Theologica ratione haurit probabilitatem, præsertim ex dictis num. 318. de Sacramentis, & nego consequentiam ad prob. nego antec. quia ut fert Theologorum axioma, & habet Glossa citato cap. *quod in dubiis* sacrum tanquam dignius trahit ad se non sacrum, contractus enim adeo intimus cum re sacra, extrahit à statu profano rem contractam, ut apparet in vestibus, quas Sancti induebant, nec istiusmodi habitudo præferret aliud, quàm eam denominationem extrinsecam; exinde autem peperam inferunt Adversarii, sequi vinum non consecratum ex mixtione cum consecrato fore benedictum, verum & consecratum. Consecratio non vini, ut constat ex fide, præfert secum transubstantiationem, ad quam non sufficit denominatio extrinseca, ac proinde paritas est nulla.

58. Objicies 6. Contra 4. assert. ex Jacobo Sirmundo, in Concilio Arausiano 1. cap. 1. præcipitur, ut si quis in Baptismo chrismatifictus fuerit, non chrismetur iterum in Confirmatione, sed manus tantum ab Episcopo ipsi imponatur; ergo unctio chrismatificta non est materia proxima conformis, sed sola impositio manus Episcopi. Confirmatur ex Hyeron. Aug. & aliis Confirmationem vocantibus manus impositionem; ergo &c. Resp. nego antec. in illo enim textu Arausiano solum proponitur, quod dicitur duplex chrismatifictio, quod nos non negamus: datur enim una verticalis in Baptismo à simpli-

ci Sacerdote facta; alia verò in fronte, quæ est confirmativa, & fit manu Ministri, ideoque vocatur unctio & manus impositio: ne ergo omittatur ea chrismatio repetita, præcipit Concilium, ut Minister ex officio secum ferat chrismam, ut fiat chrismatio Baptismalis, quæ si omissa sit, debet admoneri Minister confirmationis, non quia Concilium velit ipsi fieri præjudicium, ne possit exercere Ministerium suum, sed ne omittatur repetita chrismatio, modo debito, id est in fronte, & in vertice: omittatur enim propter abusum aliquorum Presbyterorum, neque vult Concilium quoddam chrismatio Baptismalis fiat chrismate à simplici Sacerdote benedicto, sed quoddam chrisma ab Episcopo benedictum utrique chrismationi feruatur, cum chrismatis tantum una benedictio sit.

60. Cæterum quia magna est Auctorum varietas in legitimis Concilii verbis tradendis, tripliciter enim habentur in nova Conciliorum editione, aliter apud Aranzam, & Gratianum de consecrat. dist. 4. aliqui ea verba apponunt can. 2. hujus Conc. alii verò cap. 1. Apud Gratianum & Caranzam solum exprimitur requiri chrismationem, apud alios, ut non necessaria habeatur chrismatio, sive repetita chrismatio, apud alios verò, ut necessaria habeatur. Ea propter placuit apponere verba, ut habentur apud Plin. Tom. 1. Concil. part. 2. & apud Laurent. Surium Tom. 1. pag. 717. ambo enim eodem ipsissimo modo verba Concilii referunt, quæ, ut postea probabimus, legitima sunt, & sic habent: *Nullus Ministrorum, qui Baptizandi recipit officium, sine chrismate unquam debet progredi, quia inter nos placuit semel in Baptismate chrismari, de eo autem qui in Baptismate, quacunque necessitate faciente, non chrismatus fuerit, in confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter nos chrismatis ipsius non nisi una benedictio est, non ut præjudicans quidquam dico, sed ut necessaria habeatur chrismatio repetita.* Ex his autem genuina apparet argumenti solutio à nobis exposita, quod autem valde mirum est, nullum ex supra citatis auctoribus inter tantam varietatem referendi Concilii verba, vel minimam mentionem facere de manus impositione, unde ex istius Concil. canone perperam infert Sirmundus, solum manus impositionem esse materiam hujus Sacramenti; hinc ad confirmationem dist. anteced. manus impositionem consistentem in unctioe chrismatis facta manu Ministri, contra alia impositione manus, nego antec. & consequentiam, ut ex dictis satis constat.

61. Ne autem res adeò gravis minus stabilita videatur relinqui, operæ præteritum est ostendere, mentem Atrasciani nequaquam fuisse, negare chrismationem repetitam, unam nimirum in vertice, & alteram in fronte, sed declarare, utramque faciendam contra abusum aliquorum Presbyterorum; chrismationem autem in fronte per manus impositionem, non à simplici

Sacerdote, sed ab Episcopo conficiendam. Quæ autem hoc probari non possit ex ipsius Concilii verbis propter maximam, qua referuntur varietatem, ostendendum est ex ordinationibus Leonis I. sub quo celebratum fuit istud conc. & Innoc. I. proximi, etsi non immediati prædecessoris, Innoc. enim Episcopi ad Decretum, quæ habetur apud citatum Surium Tom. 1. con. pag. 326. cap. 3. ita habet de Presbyteris: *chrismate baptizatos ungeri licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecrati, non tamen ex eodem oleo lignare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spirit. Paracletum.*

Leo 1. Episcopi. 86. ad universos Germanias, atque Galliarum Ecclesiarum Episcopos, quæ habetur eodem Tom. pag. 800. ita de Presbyteris decernit, *nec eligere illis Altaria, nec Ecclesias, vel Altaria consecrare licet, nec per impositiones manuum fidelibus baptizandis, vel conversis ex heresi Paracletum Spiritum S. tradere, nec chrismam conficere, nec chrismam baptizatorum frontes signare.* Ubi propter abusum aliquorum Presbyterorum prohibet illis manus imponere ante Baptismum ad conferendum Spiritum S. qui unctioe chrismationis in fronte baptizatis confertur; hæc autem unctio, non quidem manu Presbyteri, ut aliorum abusus introduxerat, sed Episcopi manu fieri debet, ut declarat Pontifex. Unde apparet non prohiberi à conc. Atrasc. chrismationem repetitam, alteram nimirum Baptismalem in vertice, faciendam à Presbytero, & alteram confirmativam in fronte faciendam ab Episcopo, sed utramque præcipere, quando conferenda sunt Sacramenta Baptismi, & confirmationis. Prohibet autem abusum illorum Presbyterorum, qui ex animo conferendi Spiritum S. imponebant manum ante Baptismum, & omittabant chrismationem verticalem; & aliorum, qui ex alio abusu omittabant verticalem post Baptismum, & ungebant chrismam in fronte, quasi ad illos attineret confirmatio, & conferre Spiritum S.

Objicies 7. Contra 5. assert. ex Concilio. Quis negare audeat aliquas ex formis num. 34. relatis substantialiter differre ab ea, quæ hodie Ecclesia utitur, cum in forma Græcorum, & Ambrosiana nulla fiat invocatio Trinitatis, nec expressio actionis Ministri; ergo formæ, quibus Sacramentum confirmationis conficitur, sunt substantialiter distinctæ, ac proinde non sunt formaliter, moraliter, aut substantialiter idem: Respondere poteramus futurum Gonetum, si memor sit sui, ut constat ex num. 45. & audent omnes, qui non recubescunt asserere veritatem; sed ne ista verba aliter, quam ex Christo dicta accipiuntur. Resp. N. ea verba substantialiter distingui, quatenus constituunt formam confirmationis: etenim Trinitatis expressio, & personæ Ministri, quæ est in una forma, & non in alia, merè materialiter se habet; nec impedit, ne forma quæ utuntur Latini, & forma, quæ utuntur Græci,

ci, comprehendantur sub institutione Christi Domini, ac proinde non impedit, ne sit substantialiter, formaliter, & moraliter idem, ut

constat ex dictis à num. 33. & 35. * * *

DISPUTATIO III.

DE MINISTRO, OBLIGATIONE ET RITU CONFIRMATIONIS.

64. **M**inistrum ordinarium Sacramenti Confirmationis esse solum Episcopum, definitum est à Florentino citando num. sequenti, & expressius à Tridentino sess. 7. can. 3. de Confirm. per hæc verba. *Si quis dixerit Sanctæ confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Quapropter circa Ministrum hujus Sacramenti ordinarium nulla existat apud Catholicos controversia; circa Ministrum verò Extraordinarium est dissentio non modica. Varietas Sententiarum constat ex Adversariorum responsionibus.

SECTIO I.

De Ministro extraordinario Sacramenti Confirmationis.

65. **A**spero cum communi Theologorum contra Durandum, & alios. Licet solus Episcopus sit ordinarius Minister Sacramenti confirmationis, ex concessione tamen, seu dispensatione Summi Pontificis potest simplex Sacerdos licite, & valide confirmationem ministrare. Probatur ex Florent. citato num. 28. ubi hæc habet: *Ordinarius Minister est Episcopus.* Et postea subdit, *legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse confirmationis Sacramentum.* Quibus ex verbis satis colligitur, præter Episcopum posse esse alium extraordinarium hujus Sacramenti Ministrum; quisnam autem esse possit, statim explicat, dum dicit simplicem Sacerdotem ex Summi Pontificis dispensatione aliquando ministrasse hoc Sacramentum: si enim non administrasset valide, neque Sacramentum confecisset, contra id quod Concilium supponit. Imò cum hoc tanquam specialis prærogativa Sedis Apostolicæ à Concilio referatur, in sola Sede Apostolica agnoscenda est potestas committendi hanc facultatem simplici Sacerdoti, simulque numeranda inter illas, quas Christus non quidem alteri, sed totius Ecclesiæ capiti concessit, ut sunt infallibiliter determinare dogmata fidei, discernere materias & formas essentielles Sacramentorum, sibi in tota Ecclesia casus reservare, & sic de aliis; ergo.

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

Confirmatur & explicatur hæc ratio. Si 66. Christus Dominus iustitisset materiam & formam in Sacramentum confirmationis, quando apponuntur ab Episcopo, non autem quando apponuntur ab alio, nisi iste esset simplex Sacerdos, simulque haberet commissionem & dispensationem à Summo Pontifice, clarè ex tali institutione inferretur, ordinarium Ministrum Sacramenti Confirmationis à Christo designatum esse solum Episcopum, extraordinarium autem esse simplicem Sacerdotem, habentem dispensationem, & commissionem à Summo Pontifice: atqui talem fuisse de facto Christi institutione, inferitur ex Conciliis & praxi Ecclesiæ; ergo. Probatur min. ex definitione Trid. data num. 64. quod jam dixerat Florent. citatum num. Super. deinde ut accuratè noravit Exim. doct. disp. 6. sect. 2. licet nulla sit Ecclesiæ reservatio, qua prohibeantur Episcopi delegare simplici Sacerdoti facultatem ad ministrandum Sacramentum confirmationis: etenim solum constat, dari prohibitorum, ne confirmet Presbyteri, nulla autem datur, in qua prohibeatur, ne confirmet cum delegata Episcopi facultate; nihilominus nunquam delegant, nec delegarunt Episcopi talem facultatem; nec judicant tale jus sibi comperere; ex qua Ecclesiæ praxi arguitur non fuisse illis concessam à Christo D. talem potestatem.

Tandem ex traditione habemus, Ecclesiam 67. aliquando delegasse hanc facultatem, non alteri, nisi simplici Sacerdoti, ut ex Florent. citato constat. Sic D. Gregorius relatus cap. *pervenit.* dist. 95. & habetur etiam in operibus ipsius Gregorii lib. 3. Epist. 26. cum cognovisset in Insula Sardinia solitos fuisse Presbyteros confirmare Baptizatos, id severè prohibuit: ex hac autem prohibitione cum certum scandalum videretur, sic scripsit D. Gregorius, ut pater in ipso textu: *Nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ necessaria fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus, baptizandos chrismate tangere debeant, concedimus.* Eandem facultatem concesserunt I. Indis, Fratribus Minoribus Joannes XXII. & Leo X. ut testatur Rodericus in suo Bullario regularium, in Bulla 3. Leonis X. Arcud. in lib. 2. de confirm. cap. 15. præfert eandem facultatem ipsis Minoribus concessam ab Adriano VI. anno 1521. die 25. Aprilis, pro Indis, & Regionibus, ubi non sunt Episcopi, haberi-

X x x

que